

possunt adhuc esse diuersa. Inprimis id procedit in hac intellectu voluntatisque consideratione: nam quoniam illa sunt eiusdem animae conatus, pro eo tantum diuersa, vti conatus ille se exerit: non video cur ab intellectu, cui vnum genus perceptionum, indifferentium scilicet, tribuitur, alterum nempe iucundarum s. boni & iniucundarum s. mali separetur. De attentione res quoque est admodum dubia: cum multi eandem ad voluntatem referant. Quod quanquam robori probationis, quam pro inchoanda ab intellectu emendatione instruunt, nihil derogat; nam vltimo adhuc a repraesentatione boni dependeret: tamen non video, cur rationi vsuique vocabulorum sit contrarium, si ad intellectum referretur. Est enim attentio ea mentis operatio, qua figimus intellectum in repraesentatione quapiam reliquis quae obuersantur, omissis: qui actus est facultatis abstrahendi, qua considerare possum vnum non consideratis aliis connexis. Quamdiu igitur facultas abstrahendi cum ratione tribuitur intellectui: tam diu non est cur attentionem illi denegemus.

§. III.

Definitiones autem intellectus & voluntatis §. I. allatae si ponantur: facile adparet, voluntatis operationes, ab intellectu dependere; quia rationem sui in illo eiusque inueniunt repraesentationibus. Hinc porro prona fuit consequentia, intellectum esse vnicum medium corrigendae dirigendaeque voluntatis: adeoque ab illo inchoandam esse emendationem. Quod enim ab alio dependet, id in tota sua ratione adeoque etiam emendatione illud alterum sequitur. Sed hoc de voluntate valere, admissa superiori intellectus voluntatisque definitione, nemini obscurum erit. Indeque emendationem voluntatis ab intellectu dependere patet.

§. IV.

Fusius haec deducere, pluraque adferre argumenta superse-
debo: quoniam ipsae definitiones adserti veritatem abunde manifestant & demonstrant. Ad haec infra aliqua adiiciendi occasio dabitur. Dubia tamen illa, quae oriri possent, $\alpha.$) Ex perceptionum boni atque mali diuersa ratione $\beta.$) Ex turbata volun-
lunta-